

HEINRICVS DE COSVELDIA CARTHVSIANVS.



HEinricus ille insigni pietate & mansuetudi-
ne fuit præditus. Itaq; literarum et pietatis a-
more Carthusianorum ordinem ingressus, breui
factus est Prior domus S. Mariæ prope montem
S. Gertrudis in Hollandia. Vir erat in diuinis scri-
pturis eruditissimus, uita & conuersatione deuo-
tus, & fame integerrime, ingenio subtilis, eloquio
clarus, & eloquentia insignis. Scripsit is uarios li-
bros & tractatus, qui paſſim apud clauſtrales cir-
cumferuntur. utpote in Exodum, in Epistolā Pau-
li ad Romanos, de Votis, de Custodijs monasti-
cis, de Institutione nouitiorum, cum Sermonibus
& alijs. Opus etiam Guilhelmi Parisiensis Episco-

pi de Vniuerso corporeo & incorporeo mira industria perlustrans, in cōpen-
dium redegit. Moritur in domo Vallisgratiæ prope Brugas, dum paſſim mo-
naſteria magna diligentia uisitar et, tempore Sigismundi Cæſaris, Anno 1412.
septimo Idus Iulij. Trit.